DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XVIII. NOVEMBRIS MDCCXVII.

M. NICOLAO LE TELLIER, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An Rheumatismi affectibus Diaphoretica?

QUAMVIS corpus humanum non sit rudis indigestaque moles, sed concinna variis organis instructa Machina ad varias functiones obeundas mirè parata, nihilhominùs iners jaceret, nisi ex solidorum & fluidorum congruâ & simmetricâ compositione constaret, & nisi ab illis functionum integritas servaretur. Dùm varii ejus humores ab expedito, perenni, & æquali partium solidarum & fluidarum motu per vasa feruntur, assiduo tritu commoliuntur, ex iis debita fit excernendorum secretio. Sed cùm de corporis substantiâ plurimùm quotidiè depereat, partim visibilium excrementorum exclusione, partim vaporum insensibilium transpiratione, ut illæ tam solidæ quàm fluidæ partes ad munia servanda resarcirentur, sanguinis circuitum per omnes corporis partes apprimè natura instituit: illius cursu succi nutritii corpuscula per intimos recessus intromittuntur, & quæ moli ac figuræ magis fuerint congrua, substantiam partis in quâ quiescunt adaugent, & consumptis priùs illius partis moleculis substituta, illatum eorum recessu damnum resarciunt. Locum suum quodque tuetur, inquit Venerandus Senex; & quæ quidem ad minus tendunt, in minorem locum secedunt; quæ verò ad majus proficiscuntur, commixta in majorem classem transeunt; externa verò neque ejusdem generis, ex alienâ regione pelluntur, neque enim potest quod non est ejusdem generis, in loco minimè sibi convenienti permanere, vagantur si quidem non agnita, invicem verò permixta simul cognoscuntur; conveniens enim cum conveniente cohæret, quod autem minimè convenit, dissidet & pugnat, & à se invicem discrepat. Sic functionum animi & corporis vires non solùm versantur in laudabili partium similarium sive simplicium temperie, legitimâ organicarum sive compositarum structurâ, ambarumque unione, sed & in convenienti vasorum oscillo sanguinisque motu circulari; quo cessante, præpedito, aut quavis ratione perturbato, illa pervertitur. Indè liquet quanti sit ad sanitatem momenti secretionibus suum perpetuò servari tenorem, quot ataxias excitare poterit cohibita perspiratio. In Rheumatismi affectibus ubi pro variorum qui inspissantur humorum indole aut conflictu, vel ne vix solubiles obstructiones à coercitâ transpiratione oboriuntur, vel succi perturbati retinentur, omnia sunt movenda ut secretio Diaphoreticis promoveatur.

PARTICULIS superfluis aut minùs aptis continuò eliminandis, natura varias instituit vias; sic bilem excrementitiam, pancreatis, & glandularum intestinalium succos crassiores cum ineptis alimentorum particulis per alvum ejicit, per semitas urinarias urinam, tùm quæ ventriculi & vesicæ tunicas penetrat, tùm quæ per tramitem circulationis secretoria Renum vascula transit. Deniquè per amplissimam perspirationis viam non solùm in glandulis subcutaneis, sed etiam in ipsius cutis aliorumque integumentorum poris apertam, halitus quamplurimos eliminat. Transpiratio lenta ac mitis subtilem auram insensilem efflat, crassior sensus ferit, & in guttulas sudoris abit. Utriusque hujus excretionis materia ejusdem indolis est, gradu solùm consistentiæ diversa. Imò notandum valde inter se convenire transpirationis, sudoris atque urinæ secretiones. Perspirationis & sudoris materiam sanguinis arteriosi sero deberi suadet, ingens cum sale urinoso affinitas, & demonstrant sudoris salsedo manifesta & pruritus sæpiùs inde exortus. Quamobrem si justa succorum attenuatio facilisque eorum transitus, transpirantium vaporum secretioni non respondent, si eorumdem materia non satis fluida lento passu procedit, atque in ostiolis hærens acorem contrahit nervos irritans, musculorum fibras crucians, vel poros infarciens, Rheumatismo facem præbet. Hic affectus atrocissimo dolore nunc artus omnes nunc quosdam afficit, modò partes rubescunt & tumescunt, modò rubor & tumor evanescunt, febris sensim evanescit, manente dolore, quin & aliquandò immanius sæviente. Nonnunquam ex capite distillat humor, & quidem interdum in nares quod lene est, aliquandò in fauces quod pejus est, subindè in pulmones quod pessimum est. Si in nares distillaverit, tenuis per has pituita profluit, caput leniter dolet, gravitas in eo sentitur, frequentia sternutamenta resonant; si in fauces, has exasperat tussiculamque movet; si in pulmonem, præter sternutamenta & tussim, est etiam capitis gravitas, lassitudo, sitis, æstus, biliosa urina. In lumbagine Rheumaticâ immanis dolor adest, circà lumborum regionem fixus, nephritin mentiens, nisi quod nausea vomitusque non adsint, perpetuâ corporis agitatione ac mutatione situs ægrotum lacescens, cujus sanguis plevriticorum ferè similis: verùm nimis longum foret omnia recensere simptomata perspirationem impeditam arguentia.

QUANQUAM variæ sint & inter se admodùm dissimiles Rheumatismorum causæ, pro varia humorum inspissatorum, vel evectorum & detentorum indole. Illi præsertim qui in victu delinquunt, quorum lubrica est sanitas & morborum injuriis obnoxia, nisi certis vitæ legibus obediant, frequentissimè Rheumatismos incurrunt. Causis tamen universalibus & æquivocis at plurimùm suscitantur. Sic alia aëris temperies nos variè afficit, & sanguinis circuitum æquè ac transpirationis halitum promovet, adauget, minuit. Temperatus aër sale balsamico naturæ amico prægnans sanguinis motum, spiritusque animales instaurat. Aliquoties è contra hyemali præsertim tempestate, ab inspirati aëris Borealis miasmatibus, incrassantur sanguinis partes, segniùsque moventur; his partibus ita fixis sanguinis sulphura irretiuntur, tubulorum pororumque meatus coarctantur, ac demùm obstructio nascitur. Ab obstructione auctâ lancinans & pungens dolor oboritur; & si inclementia aëris corpus sudore diffluens, ejusque patentes pororum meatus invadat, ipsos non tantùm constringit, sed insuper incussis spiculis humores omnes per quævis vasa quaquaversùm valdè commovet, adeòque mutationes funestas, coagulationem putà vel aliud quid infert. Tùm glandulæ miliares à figurâ dictæ & à situ subcutaneæ, vasa excretoria ad cutis spiracula sive poros spargentes, affluxum humorum non ampliùs moderantur, nec secretum fluidum transmittunt, sed occluduntur, halituique solito remoram objiciunt. Quæ omnia, ut humor acris, in quibusdam acidus vel salsus, & semper valdè lancinans inter fibras nerveas, & circà vasorum angustias atque intercapedines hæreat, efficiunt, febres commovent, ibique à sale defixo acerrimos dolores producunt.

NATURA legi motus perpetui mancipata quocumque tempore otii impatiens intus agit, & organa sua movet, ut sanitas conservetur. Ejusmodi organa alia sunt fluida, quæ activa, alia solida, quæ passiva: utrorumque unus consensus, conspiratio una in singulis humani corporis partibus advertitur. Spiritus animalis primum vitæ auditur organum. Dura Meninx inter solida primas tenet; alia solida, nempè musculi, tubuli, glandulæ, ipsaque viscera oscillatorio motu gaudent, quem à durâ Meninge mutuantur. Hujus autem motus à spirituum animalium influxu incepit & continuatur. Ab ejus elatere, aërisque elasticitate sanguinis circuitus promovetur, qui quò vegetior eò sanitas felicior. Spiritus ille pars sanguinis subtilior est & purior, per tenuissimas cerebri glandulas Medullæque oblongatæ & spinalis incernicula separatus, & nervorum ope in omnes partes diffusus, ad omnes corporis motus, ad nutritionem, & ad sensuum functiones obeundas destinatur. Quamvis spiritus sint sanguinis partes defæcatiores, non tamen ad æqualem volatilitatis gradum in omnibus evehuntur: in aliis sunt agiliores, in aliis crassiores tardiorisque motus; prout latex ex quo eliciuntur subtilior aut crassior fuerit; moles sanguinea ad puritatem & defæcationem, nisi succorum, vaporum, halituumque excrementitiorum expulsione non pervenit. Omnium igitur secretionum meta ad corporis universi perfectionem est Diaphoresis, illam segniorem varios adjuvandi modos natura docuit, à motu corporis citatiore, laborioso ac diuturno cursu, saltatione, ponderum vectione, tractione & similibus, sudor provocari solet. Ars experientiâ freta transpirationem variis etiam modis elicit, vel sicco calore, vel balneo, vel sudorificis sic propriè dictis. Siccus calor est & arenæ calidæ, balnei laconici, clibani solis & quorumdam naturalium sudandi artificiorum, ubi à terrâ surgens calidus vapor ædificio includitur. Utilia hæc sunt, quoties humor intus nocet isque digerendus, imò nervorum vitiis quibusdam optimè medetur, & infirmis conveniunt, uti sol & exercitatio tantùm robustioribus, sed extrà febrem vel initio morbi, balnei sive simplicis, sive compositi, sive thermalium duplex usus: nam modò discussis febribus valetudini confert, modò febrem ipsam tollit, fereque adhibetur ubi febris decrevit, ubi summam cutem relaxari, corruptum humorem evocari, & habitum corporis, ut ita dicam, mutari expedit. Verùm antequam Diaphoretica hauriantur, spectare oportet, num tempora, partesve corporis aliæ, paulùm madescant, quæ sudorem venturum esse testentur; ac si aliqua ejus nota est, tunc demùm illa dare potui quæ salubria judicantur. Aliquando solùm calidæ simplicis, si sudorem per omnia membra diffundit, sufficiens est; si verò impar sit viribus ad discutienda, dissolvenda, & eliminanda ea quæ in mole sanguineâ coiverunt, ad Diaphoretica sic dicta, primis viis, ut decet, expurgatis, & venæ sectione pro viribus ægri institutâ properandum est. Hæc pro variis Rheumatismorum causis, & temperamentis varianda sunt. Si transpiratio morborum Panacœa sit, Diaphoretica idem sonant; quæ alia præsidia admodùm superant, atque ex tribus Regnis ad tot curationum usus tam abundè depromuntur. Alia sunt calida, frigida alia, alia fixa, volatilia, acida & Alkalia diversi generis, item & oleosa, Balsamica, salina, salino-sulphurea, sulphureo-salina, grati, ingrati saporis, acria, amara, salsa, acerba, insipida; ex quibus infinitæ species compositæ prostant, *v. g.* Spirituo-salinæ, atque spirituo-salino-sulphureæ. Sudorifera quædam plus vel minus dissolventia, Emetica, cathartica, Diuretica, astringentia, quibus qualitatibus tam primis, quàm mediis & in recessu ultimis non solùm ad Rheumatismos sanandos, sed ad quam plurimos affectus conducunt.

AD Rheumatismi dolores sanandos Diaphoretica juxtà diversimodam temperamentorum constitutionem eligenda sunt. Communis est eorum indoles, ut ventriculo & intestinis famulentur, nullumque in iis spasmum aut motum excretionis cieant; pleraque cardiacis similia, sunt-que ejusdem sæpè efficaciæ intus sumpta, spiritus animales suscitant, erigunt, & expandunt, sanguinisque recrementa in Diaphoresin adigunt: Alia è contrà, quamvis sint alioquin sanguini nociva, illum tempestivè fermentando, non minus ad metam curationis collimant, viscida incidunt, serique superflui excrementa in sudorem aut in halitus insensibiles exolvunt: Alia sunt etiam quæ cum sudoriferis, astrictoriis particulis pollent quæ fibras constringendo, materiam morbificam è parte affecta revellunt, tonumque viscerum restituendo, eam foras expellunt. Deniquè alia sudorifica sunt salina diversi generis pro selectu, & diversi status, quæ intus sumpta atque salibus aliis tùm intrà viscera, tùm intrà massam sanguineam scatentibus, occurrentia, eosque à particularum aliarum complexibus avocantia, sanguinem reserant ac rarefaciunt, ut particulæ extraneæ per Diaphoresin amandari possint. Sic sanguinis fluiditas naturalis restituetur, succi tenaces in tubulis diù hæsuri, meatus crispantes vel occludentes, extrudentur; pulmones aliæque partes suos elateres, motusque oscillatorios resument. Hisce præsidiis sanguis spatium liberius nactus placidè ac sine turba circumagitur, magis dividitur; fiuntque ejus moleculæ ad secretionem aptiores. Ita glandularum miliarium spissitudines mollescunt, papillarum cutis irritamenta sopiuntur, pororum spiracula patescunt, tùmque mordaces recrementi sanguinei fuligines datâ portâ ruunt, eliminantur, & in auras avolant, succedente suavi optato ac perenni saluberrimæ transpirationis halitu, verâ Rheumaticorum Diaphoreticis curatione.

Ergo Rheumatismi affectibus Diaphoretica.

Domini Doctores disputaturi.

M. Claudius Du Cerf.
M. Joan. Bap. Enguehard, Scholarum Professor.
M. Claudius Vergne.

M. Ludovicus Guillot.
M. Joan. Bapt. Fermelhuis, in Regiâ Artium Acacademiâ Socius honorarius.
M. Joannes Depiney-Pesthard.

M. Raymundus Jac. Finot.
M. Philippus-Bernardus de Bordegaraye.
M. Jacobus-Simon-Gilles de la Riviere.

Proponebat Parisiis CLAUDIUS BRUNET, Lugdunæus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1717. à sextâ ad meridiem.